

Disputatio inauguralis medica de valeriana ... / [Johann Friedrich Bismarck].

Contributors

Bismarck, Johann Friedrich.
Spies, Johann Karl, 1663-1729.
Universität Helmstedt.

Publication/Creation

Helmstadii : Literis Pauli Dieterici Schnorrii, [1724]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s8cm84r4>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

35 XII. 1801
DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA

13863/P
DE

4799
VALERIANA

QVAM

AVCTORITATE ATQVE DECRETO
GRATIOSI ORDINIS MEDICI
IN ACADEMIA IVLIA

PRAESIDE

JOHANNE CAROLO SPIES

ARCH. WOLFFENB. ET THERAP. P.P.

H. T. DECANO

*PRO HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS*

RITE AC LEGITIME IMPETRANDIS
IN IVLEO MAIORI

D. III. MARTII MDCCXXIV.

HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS

PVBlice EXAMINANDAM

TRADIT

JOH. FRIDERICVS BISMARCK,
WOLFFENBVTTELENSIS.

HELMSTADII,

LITERIS PAULI DIETERICI SCHNORRII,
ACAD. TYPOGR.

DE
INSTITUTIO ANATOMICA MEDICA

VALERIANA

AVULSIO VITAE VITAE DECRETUM
GRATIOS ORDINIS MEDICI
IN ACADEMIA IVLIA
PRAESIDE

JOHANNES CAROLUS SPIES
ARCHIWOFFENSITERRAE P.P.



PRO HONORIBUS
DOCTORALIBUS

RITE AC LEGITIME IMPETRANDIS
IN VITO MAIORI

DE MARCHI DOXIN
HONORIS VITAE ET POMERIDIANIS
FELICE EXAMINANDAM
TRADIT

JOHANNES FRIEDRICH BISMARCK
WOLFFENBUTTERFENSIS

HELMSTADII

LITTERIS PAULI DIRECTORIS SCHNORR
ACAD. TYPOG.



PRAELOQVIVM.



Implicium exacta cognitio adeo necessaria est omnibus illis, qui medicam praxin exercere sibi proposuerunt, ut sine ista eandem non satis bene peragere valeant. Quid enim quisquam sibi promittere potest de effectibus simplicium, nisi calleat illorum virtutes? quomodo quisquam istas reddere potest detectas, nisi exactam eorundem sibi comparet co-

gnitionem? Hinc ista simplicium cognitio non solum consistit in externa illorum agnitione, quæ quidem suum habet usum ac ideo non contemnenda, ut illa recte eligere & colligere queamus, sed potius in eorundem debito examine, ut inquiramus in istorum qualitates, partes constitutivas, & tandem effectus tam generales quam speciales, quos quidem frequentissime a posteriori demum addiscere, intelligere ac explicare possumus. Cum itaque hæc simplicium cognitio tantum in medica praxi præbet commodum, Specimen meum inaugurale de Valeriana consignare constitui, sperans, hunc laborem non fore plane frustraneum. Quod autem hanc præ aliis elegerim plantam, ideo factum est, quoniam cum illa varium mihi fuit negotium in tentanda & exploranda istius efficacia. Faxit igitur plantarum Creator, ut per hanc nostram glorificetur istius Nomen.

A. D. G. E. P. S.

CAP. I.

DE VALERIANÆ DENOMINATIONE ET FORMA EXTERNA.

§. I.

Valeriana, a valore, ut nonnulli volunt, ita dicta, quod nempe multum valeat ad vincendos diversos morbos etiam gravissimos, distinguitur in majorem & minorem, sed hic loci præsertim de majore erimus solliciti, quæ est vel hortensis vel sylvestris.

§. 2. Hortensis variis insignitur nominibus, vocatur enim a Botanicis Valeriana pontica & Phu majus offic., Valeriana major odorata radice, vera, domestica, Phu magnum, majus, ponticum, verum. Herba theriacaria, S. Georgii, S. Claræ, S. Mariæ Magdalænæ, Nardus agrestis sive Sylvestris. Großgarten Baldrian / welscher Baldrian / Theriacs Kraut / wilder Nardus.

§. 3. Sylvestris quoque varie salutatur & nominatur Valeriana & Phu offic., sylvestris major, magna aquatica & vulgaris. Phu germanicum, parvum, vulgare, majus commune. Großer wilder Baldrian / Augenwurzel / Wundwurzel / Rachenwurzel und Rachenkraut / partim propter odorem, quem spargit confricata, odori urinæ felis haud ab similem, partim quod feles hac planta magnopere delectentur & præ aliis super eadem libenter procumbant ac sese volutent, si modo illis ad istam patet accessus.

§. 4. An igitur Valeriana hortensis an vero sylvestris pro vero Phu Dioscoridis & Antiquorum sit habenda, disputant Botanici. Hortensis nominatur Phu hortense & Phu majus a Gesnero; Phu magnum ab Eodem. Non possum,
non

non fateri, inquit Matthiolus Comm. ad Diosc. p. 30. eos omnes bene sentire, qui majorem Valerianam, quæ passim in Italia nascitur (& apud nos in hortis colitur) legitimum esse Phu asserunt. Sylvestris vocatur Phu Dioscoridis a Columna & Brunfelsio; Phu vulgare a Tabernemontano; Phu parvum a Matthiolo; Phu sylvestre & germanicum a Fuchsio, nec tamen inter se convenire possunt. vid. Bauhini & Cherleri Hist. Plant. Vnivers. T. III. L. 27. fol. 209. sq. Sed quid impedit, quin & hortensis & sylvestris major valeriana pro Phu Antiquorum accipi queat?

§. 5. Progredimur ad plantæ descriptionem, quæ in Mangett. Bibl. Pharm. Med. T. II. fol. 1009. his traditur verbis: Vtraque valeriana major in excelsam excrescit altitudinem, & copiosos habet characteres, quibus ab aliis plantis distingui potest, qui sunt caulis teres & concavus, foliis ad intervalla binis adversis cinctus; flores monopetali velut in umbella; semina ad singulos flores singula, nuda, pappo innascente alata.

§. 6. De Valeriana majore hortensi in specie ita differitur in Bauh. & Cherl. Hist. l. c. Bicubitales & altiores tollit caules fistulosos, geniculatos, aliis donatos; folia alia integra, alia centaurii majoris modo profunde dissecta, nullo eximio odore aut sapore; flores in umbella suaveolentes ex albo purpurascetes, quorum singuli quinque foliolis constant, apicibus productioribus concoloribus; semen cum lanugine quadam papposa avolat; radix subest transversim posita, digiti crassitudine, rugosa, multis fibris donata, albicans, sapore & odore aromatico radicum fere asari.

§. 7. Sylvestris seu Palustris magna aquatica in eadem Historia his describitur verbis: radix ex pluribus composita est fibris albis & gustu aromaticis; caules ad humanam altitudinem exsurgunt recti, fistulosi, longis internodiis intercepti, striati, modice hirsuti, quorum genicula amplexantur basi sua folia valerianæ sativæ magis pinnata, saturatius vi-

rentia & adersa parte nonnihil hirsuta; flores in umbella fativæ similes quinquefolii ex albo purpurascens hircum olent, tandemque in pappos facessunt.

§. 8. Hortensis est fativa & in hortis per semen propagatur, interim tamen plerumque perennat. Sylvestris seu Palustris sponte excrefcit ac communiter reperitur in locis vallofis ac paludofis nec non ad fossas aqueas. In sylvis etiam invenitur, ubi autem ad tantam altitudinem non excrefcere dicitur. Florere incipit mense Junio, cum caules jam ad perfectam altitudinem excreverunt, & floret plerumque per totum Julium usque ad Augustum.

§. 9. Radices colligi debent primo vere antequam caules erumpunt, quo tempore sunt præstantiorum virium tanquam succulentiores, tunc in loco umbroso probe ficcandæ, ne contrahant corruptionem. Planta colligitur quando floret, nondum vero seminescit. Sæpe tamen, quando integra planta recens in usum vocari debet, planta cum radice eruitur, quando floret, ut vel pro decoctione vel pro destillatione aut aliis usibus inpendatur.

§. 10. Quamvis autem valerianam ex Bauhin. Hist. Plant. §. 6. & 7. dederim descriptam, adnectere tamen nunc placet, ad quam classem plantarum referri debeat juxta Botanico- rum sententiam. Monstrat igitur hoc ipsum D. Christ. Knaut in Comp. Botan. Class. I. Sect. I. qui, postquam notas characteristicas, quibus flos monopetalus uniformis diiudicatur, produxit, tandem p. 29. scribit: Valeriana maior hortensis & sylvestris, foliis latioribus & angustioribus revera flores monopetalos uniformes profert, consentiente mecum Tournefortio Elem. Botan. p. 107. protuberantia enim corniculata in tubo existens non facit florem difformem. Perperam autem Valeriana a Morisonio Plant. Umbellif. f. 50. pentapetala vocatur & ob foliorum cum umbellis similitudinem ad finem umbelliferarum collocatur. Multo minus Valeriana a Bobarto Hist. Oxon. Morison, P. 3. f. 100. ob so-
lum

lum pappum inter plantas flore aggregato non lactescentes, feminibus papposis accenferi potest, cum flores multos in uno perianthio aggregatos non producat. Fallitur quoque Tournefort. l. c. dum sub uno eodemque genere valerianæ flores uniformes & diffformes comprehendit. Sed missis hisce corticibus, propius ad ipsum nucleum accedam, internam valerianæ formam & quidem partes illius constitutivas in-
quisiturus.

CAP. II.

DE PARTIBVS VALERIANAE CONSTITVTIVIS.

§. 1.

OMnes plantæ non simplici sed mixta præditæ sunt substantia, & proinde ex diversis constructæ sunt partibus, quæ sibi invicem junctæ atque unitæ constituunt plantam tanquam corpus concretum.

§. 2. De principiis essentiam corporum constituentibus prolixius his disputare displicet, an videlicet Peripatheticorum quatuor elementa, an Paracelsi Sal, Sulphur & Mercurius, an Helmontii Aqua seu Initium a quo & fermentum seminale seu Initium per quod, pro principiis rerum sint accipienda. Willisius, qui per principia corporum intelligit istas partes, quæ tanquam sensibiles chemica analysi ex corporibus produci possunt, quinque nobis exhibet, ex quibus componuntur corpora, nempe Salem, Sulphur, Mercurium s. Spiritum, Phlegma & Terram; verum, scribitur in Collect. Leidenf., quoniam hæc principia non semper e quovis corpore eruuntur, ideo valde dubitandum est de hisce. Tria vero ferme semper principia in quovis subiecto existunt, Terra nempe, quæ soliditatem, firmitatem & compagem corporibus præbet;

Aqua, quæ fluiditatem & mobilitatem subpeditat; Spiritus denique, a quo subtilitas & flexibilitas ac penetrandi vis dependet. Examinabimus itaque principia Willisiana an & quomodo insint Valerianæ.

§.3. Principium salinum inexistere valerianæ, ex sapore acri concludere licet, quam mastigando manifeste percipimus, nunc autem satis notum atque certum est, a salibus potissimum dependere saporem, illumque pro diversitate salium diversum sentiri, quæ autem plane sunt insipida, ista vel nihil salis, vel in vix notabili quantitate id ipsum continent. Sed præter saporem præsentia salis in valeriana oculariter quoque demonstrari potest; si enim succus expressus ad liquidioris mellis consistentiam evaporatur, & postea in locum frigidum reponitur, in fundo concrescit sal crystallinum, quod essenziale vocatur, de quo inferius Capt. VI. agetur. Si etiam tota planta comburitur in cineres ac ex illis paratur lixivium, hoc vero evaporatur vel usque ad apparitionem cuticulæ, tunc in loco frigido concrescunt crystalli, vel ad ficitatem, sic utroque modo impetratur sal lixiviosum seu alcalicum fixum. Quamvis vero tale sal alcalicum a principio non reperiatur in nostra planta, sed per ignem producat, interim tamen ex sale essentiali h. e. sulphure & sale volatili, ut Helmontius non inepte iudicat, igne fixato suam habet originem, vel ut Barnerus in Chym. Philos. scribit: etsi fixum illud sal in plantis non præexistat, adesse tamen salia in plantis, ex quorum compositione fixum illud resultat, cognoscitur. Tandem Sal volatile prævia putrefactione sicut ex aliis plantis aromaticis ita etiam ex hac nostra planta impetrari poterit.

§.4. Sulphur inesse nostræ plantæ iudicare licet ex odore cuius origo derivanda est a sulphure, quæ enim sulphure destituuntur, inodora existunt. Melius autem demonstrari potest sulphur in nostra planta, quod i. radix pulverisata carbonibus injecta instar colophonæ scintillet ac inflammetur;
2. quod

2. quod planta destillationi subiecta præbeat oleum inflammabile, quod nihil aliud est quam liquor sulphureus ex particulis sulphureis congregatis & in fluorem redactis constans, quamvis intimius reconditas partes salinas simul contineat; 3 quod fundat spiritum ardentem, si præmissa fermentatione destillationi subjicitur, qui admota flamma accenditur & penitus consumitur, quale quid proprium est partibus sulphureis; 4 quod eliciatur inde extractum resinofum seu sulphureum, quippe quod non solum per spiritum vini rectificatum, tanquam genuinum menstruum corporum sulphureo-resinoforum confici debet, verum etiam carbonibus iniectum subito flammam concipit & penitus comburitur.

§. 5. Per Mercurium plantis inexistentem intelligunt Chemicis succos roridos & facile mobiles plantarum, atque sic mercurius tantum per analogiam plantis attribuitur, quod ita exprimit D. Hoffmannus Act. Labor. Chem. p. 14. Mercurius seu spiritus est pars mixti maxime activa & mobilis, constans particulis valde subtilibus & agilibus, & quaquaversum sese extendentibus, quæ particulæ a corporibus segregatæ in altum tolluntur, semper motum retenturæ, nisi ab aëre externo refrigerentur, dum vero ita condensantur, constituunt liquorem subtilem atque agilem, qui sub nomine spiritus venit, vid. Collect. Leid. Proleg. 2. C. 1. Talem itaque spiritum ex nostra planta elicere possumus mediante fermentatione vel inchoata vel perfecta, quæ infra producet, hoc enim modo impetratur ejusmodi liquor partibus subtilioribus inprægnatus, qui propter penetrabilitatem, ac mobilitatem Mercurius valerianæ adpellari potest, sicut simili modo ex cæpis destillatus Spiritus in Collect. Leidenf. p. 122. vocatur Mercurius veneris vegetabilis.

§. 6. Phlegma est pars aquosa insipida, mediante destillatione vel ex succo expresso vel ex planta recenti contusa prolecta, ubi notandum, quod pars spirituosior prius ascendat & aqua proluciat quibusdam partibus subtilioribus
salino

salino-sulphureis inprægnata, quæ pro phlegmate haberi nequit, tandem autem insequitur aqua insipida, quæ nihil aliud est quam phlegma. Ex his itaque colligendum erit, per phlegma non esse intelligendam quamvis humiditatem plantarum, sed istam tantum, quæ in illis aut plane insipida existit, aut talis in fine destillationis impetratur, proinde nec succus expressus nec aqua distillata proprie dici potest phlegma, licet utrisque insit.

§. 7. Terra denique est illud corpus exanimatum, quod separatis reliquis partibus activis tanquam caput mortuum relinquitur, unde etiam terra damnata vocari solet & tanquam inutilis plerumque abjicitur. Sic, v. g. illud, quod ab elixivatione cinerum valerianæ insipidum remanet, pro tali terra est accipiendum, quæ nihil aliud est quam caput mortuum & sæx in fundo vasis post finitas operationes hærens, nullique notabili usui amplius inserviens.

CAP. III.

DE QUALITATIBVS VALERIANAE

§. I.

Conspectis ita partibus valerianæ, quæ schemica diacrisi ac syncrisi ex valeriana produci possunt, differere nunc commodum erit de qualitatibus nostræ plantæ, quibus pollere judicatur, ut & de effectibus in genere, qui ex istius usu eveniunt, quique per partes constitutivas secundum sanam rationem explicari possunt, ut tandem deveniamus ad exactam hujus plantæ cognitionem, quæ variam nobis præbet occasionem, eandem ad speciales usus impendendi.

§. 2. Qualitates simplicium iuxta antiquitus receptam sententiam dividuntur in manifestas & occultas, ac istæ iterum

rum in primas, secundas & tertias. Primæ qualitates dicuntur calidum, frigidum, humidum & siccum; secundæ igitur qualitates vocantur calefacere, refrigerare, humectare & exsiccare, effectus nempe generales, qui prodeunt ex istis primis qualitatibus, quod enim calidum est, in sua natura seu essentia, illud ordinarie calefacit, atque sic de reliquis; Tertiæ denique qualitates extenduntur ad effectus specialiores imo specialissimos, quando videlicet hoc vel illud medicamentum certum quendam edit effectum ac certis opponitur morbis, ut desideratus finis impetretur. Ita e. g. in pipere prima qualitas est calidum & siccum, secunda calefacere & exsiccare, tertia affectibus frigidis & humidis mederi, imo specialissime intemperiem ventriculi frigidam & humidam emendare & abigere. Atque sic in aliis eodem modo pro diversitate primarum qualitatum diversi effectus generales ac speciales deduci solent.

§. 3. Primas autem qualitates iterum dispescunt Practici antiquiores in diversos gradus, quorum quatuor constituunt, prout nempe quoddam simplex plus minus calidum, frigidum humidum vel siccum existere judicant, ubi primus gradus calidi exiguum seu lenem & maxime temperatam, secundus magis auctam, tertius adhuc majorem, quartus denique summam & fere excedentem caliditatem denotat. Hasce autem primas qualitates præcipue ex odore & sapore cognosci posse existimant.

§. 4. Quamvis vero primas istas simplicium qualitates ex odore & sapore cognoscendas minime reiiciam, totus tamen existimo, easdem haud esse tanti valoris atque certitudinis, ut inde secundæ atque tertiæ qualitates infallibiliter demonstrari queant. Aliquid quidem ex odore & sapore de primis simplicium qualitatibus judicari potest, an videlicet sint plus minus calida, frigida, humida, sicca, quoad effectus autem tam generales quam speciales exinde nihil certi concludere licet, dum v. g. quædam ex sapore cognoscuntur ama-

ra, quæ quoad effectum generalem purgant, alia itidem eodem gradu percipiuntur amara, quæ tamen quoad effectum non purgant, ut proinde cognitio qualitatum secundarum ac multo magis tertiarum non semper a priori, sed potius a posteriori h. e. experientia omnium optime impetrari queat, quæ a priori non satis nec certo poterant demonstrari. Quis enim ex sapore & odore in valeriana quæret aut demonstrare poterit virtutem purgandi, quæ tamen a posteriori cognoscitur? Quis ex iisdem de insipida & inodora magnesia iudicare potest, isti inhærere adeo egregiam virtutem laxativam, quæ per experientiam tantum innotuit? Innumera certe obveniunt tam simplicia quam composita, quorum qualitates seu facultates atque effectus a priori non satis demonstrari possunt,

§. 5. Interim tamen nullus contemno modum inquirendi qualitates simplicium per argumenta a priori desumpta, h. e. a sapore & odore, si enim quoddam simplex gustu valde acre & calidum percipitur, illud plus minus calefacere & in morbis frigidis prodesse posse recte iudicatur. Melior autem modus inquirendi qualitates simplicium consistit in examinatione partium constitutivarum, ut ex illarum cognitione probabiliter concludi queat, quid forsan inde possit expectari, licet etiam hoc modo sæpe possimus fallere & falli. Non dicam de partibus, quæ beneficio ignis solvendo & coagulando ex quodam simplici possunt produci, ante istius torturam vero explicite & actu in illis non reperiuntur, sed illud tantum dicere cupio, quod ex productis & arte elaboratis non semper unus idemque insequatur effectus, quamvis unius ejusdemque videantur odoris & saporis. Ita mercurius vitæ & bezoardicum minerale ex butyro antimonii parantur, & quoad saporem & odorem in utroque nulla notabilis observatur differentia, quantum vero differunt quoad effectum? Antimonium Diaphoreticum cum duplo & triplo nitri detonatum ac edulcoratum uno eodemque præditum est odore & sapore, sed
illud

illud purgat, hoc diaphoresin juvat. Licet autem nunc hæc ita se habeant, ut ex solo odore & sapore qualitates medicamentorum cognosci nequeant, non tamen plane inutile est, juxta antiquorum sententiam inquirere qualitates simplicium, dum aliquid lucis præbent, majorem vero, ut jam supra dixi, utilitatem habet, chemica analysi indagare constitutivas simplicium partes, sic enim eo melius effectuum ratio dari poterit, ne recurrere debeamus ad occultam qualitatem.

§. 6. Quod itaque concernit primas Valerianæ qualitates, radix istius a Matthiolo Comm. ad Diosc. p. 32. dicitur calida initio tertii gradus, sicca vero in fine ejusdem gradus, atque sic quidem non nimium excedit caliditate, quamvis non nihil excedere videatur siccitate, interim tamen dum satis calida atque sicca ex sapore acri & odore aromatico cognoscitur, concludere licet, istam optime impendi, ubi calefaciendum & siccandum, nempe in affectibus humidis & frigidis. Si nunc simul consideramus partes constitutivas, de quibus Cap. 2. juxta Willisii sententiam actum est, & perpendimus, valerianæ inesse partes sulphureas satis præstantes, manifestas & copiosas, virtutem calefaciendi & siccandi inde demonstrare ac explicare & de qualitatibus secundis multum conjicere possumus.

§. 7. Qualitates igitur secundas seu effectus generales quod attinet, si istas collective consideramus, deduci istæ possunt præcipue ex partibus Sulphureis, Salinis & Spirituosis, quibus inprægnata est valeriana, quæque in eadem prævalent, quibusque exserit virtutem incidendi, resolvendi, aperiendi, attenuandi, abstergerendi, purgandi, diuresin & diaphoresin promovendi, putredinem arcendi. vid. Hellwig Lexic. Phys. Med. p. 37. Vim habet calefactoriam & alexiteriam, urinam & menstrua pellit, scribit Horstius Pharm. Cathol. f. CLX. Calefacit & urinam movet, si sicca in potu datur, inquit Dioscor. L. 1. C. 10. Pulvis radice valerianæ sponte ortæ, dimidii cochlearis quantitate sumtus *ἀνω καὶ κάτω*

purgat, juxta Rajum Hist. Plant. T. I. p. 388. Ex decocto totius plantæ recentis cum cerevisia facto ego ipse hic Helmstadii a. 1722. copiosam notavi purgationem sine virium prostratione, quod inferius cap. 7. Hist. 2. dicitur. An autem radix vel tota planta semper edat hunc effectum purgantem, nondum satis expertus sum, quantum quoque scio, ista purgantibus nunquam ab ullo scriptore est adnumerata, interim hæc virtus purgans, qualem quandoque exserit, partibus illius Sulphureo-Salinis incidentibus ac stimulantibus erit tribuenda. Virtutem attenuandi, diuresin ac diaphoresin promovendi observavi ex decocto totius plantæ recentis mane ac vesperi propinato, sicut videri potest ex Hist. I. Cap. 7. producta. Hæc autem virtus deducenda erit a partibus Salinis & Spirituosis Sulphureis, seu salino-mercurialibus, quibus phlegmata tenacia attenuantur & ad peripheriam corporis ac vias urinarias propelluntur. Ipsa virtus calefaciendi & siccandi patet ex effectibus, qui insequuntur, cum affectus frigidi & humidi mediante valeriana persanantur, quæ virtus dependet a partibus sulphureis atque terreis, quibus humiditates discutiuntur & consumuntur, Sulphurea enim ex sua natura calefaciunt & terrea siccant; Ita etiam satis evidens dari potest ratio omnium reliquorum effectuum, quos supra enumeravi, quod nempe incidat, resolvat, abstergat, ex quibus tandem deducuntur speciales effectus, de quibus nunc Cap. sq. erit agendum.

CAP. IV.

DE EFFECTIBVS SPECIALIBVS, QVOS VALERIANA EDIT, SEV DE VARIIS MORBIS, CONTRA QVOS A PRACTICIS COMMENDATVR.

§. I. Spe-

§. I,

Speciales effectus, qui a Practicis ex usu valerianæ variis in casibus sunt observati & consignati, consistunt in sublatione diversarum corporis afflictionum, atque sic innotuerunt ex ipsa praxi seu experientia. In genere quidem dicere possumus, valerianam prodesse & cum fructu adhiberi posse in omnibus affectibus frigidis & humidis, quia calefacit & siccat, sed propius nunc accedere & denominare debemus, quibus morbis in specie cum fructu opponi queat. Hinc cum Bartholdo in Hist. Mat. Med. L. 1. §. 3. C. 1. dico, quod radix valerianæ hortensis sit cephalica, uterina & ophthalmica, atque ita in affectibus capitis, oculorum & uteri in usum vocari possit. Sed hæc meæ intentioni nondum satisfaciunt, dum omnes affectus seu morbos in specie nominare mihi proposui, contra quos salutariter fuit adhibita.

§. 2. Præcipuus morbus, contra quem radix valerianæ sylvestris tanquam singulare & specificum remedium celebratur, est EPILEPSIA tam adultorum quam infantum, cui plus a Sylvio Prax. Med. L. 2. p. 427. §. 130. tribuitur quam pœoniæ; unde etiam a Riverio pro secretissimo habetur antepileptico, & ab aliis ad pulveres antepilepticos recipitur, quorum mentio fiet Cap. V. Virtutem hanc antepilepticam multum deprædicat Rajus l. c. dum scribit, quod Pulvis radices valerianæ majoris sponte ortæ, antequam caulem edat effossæ, cochlearis dimidii mensura cum vino, aqua vel lacte semel aut bis assumptus epilepsia correptos liberet, siquidem *ἀνω καὶ κάτω* purget. Ita etiam Fabius Columna Hist. Plant. Cap. de Phu Dioscor., (referente id ipsum quoque Riverio Pr. Med. L. 1. C. 7.) hanc radicem tantis effert laudibus, ut semel vel bis exhibitam ab epilepsia liberare affirmet ac simul addat, se illam multis amicis dono dedisse, quo deinde divino prius Numine & Fautore glorificato, pulvere hujus radices sibi restitutam sanitatem affirmarunt. Dos autem est, inquit, cochleare dimidium cum vino, aqua

vel lacte, aut quovis liquore appropriato, infantibus autem in minori dosi est danda. Eandem radicem valerianæ sylvestris contra epilepsiam commendari & in pulvere, electuario ac pilulis præscribi, legimus in Pitcarnii Element. Medic. p. 121. Confirmant virtutem valerianæ antepilepticam Laz. Riverius Pr. Med. L. 1. C. 7. & 8. Th. Willisius de Morb. Convuls. C. 4. Ephemer. Germ. N. C. Dec. 2. A. 7. & Dec. 3. A. 5. App. p. 86. quos etiam & plures hac de re restantes nominat D. Zorn in Botanol. p. 690. qui etiam refert de Hieron. Lociano, Medico Hispano, asserente, se istius pulveris usu quamplurimos restituisse, illudque per christianam fidem testari. vid. etiam Boneti Thes. Med. Pract. T. 1. p. 821. §. 73. ubi hæc radix inter specifica antepileptica locatur.

§. 3. Specificè quoque a diversis Practicis commendatur in OCULORVM CALIGINE seu obscuritate visus, quando visus antea sat acutus debilitatur ac imminuitur in Senescentibus, Eruditis, Artificibus, vel ob varie vitiatos humores oculorum infringitur. Visum enim a quacunque causa læsum ad miraculum usque per Arcanum valerianæ Hartm. restitui, inquit Crollius in Basil. Ch. p. m. 247. quod inferius sub præparatis producet. Interne ac externe usurpata radix pro insigni habetur remedio, ut ideo etiam a nonnullis ocularia nominetur, & a D. de Buchwald in Specim. Med. Pract. Botan. p. 282. dicatur, valerianam majorem habere radicem ad confortandum visum decantatam. Oculorum claritatem adjuvat juxta Matthiolum l. c. vid. etiam Mangett. Bibl. Pharm. Med. Potenter confortat & conservat visum, inquit Hieron. Braunschweig, referente Zornio, ac ideo Aurifices & Horologifices similesque artifices particulam radicis in ore utiliter tenent, ut oculos fortificent & acutius videant, vid. Gottsched. Flor. Pruss. p. 268. Omnis valeriana hortensis juxta Ettmülleri assertum Phylolog. fol. 105. in specie est ophthalmica nunquam satis decantanda, si scilicet pulvis radicis interne quotidie usurpatur, nam mire restituit visum in senibus

nibus ; externe egregia est aqua destillata, si in collyriis & pro lotione oculorum adhibetur. D. Vaterus in Disp. de Suffusione, intus commendat Essentiam valerianæ, extus collyrium & fomentum ex eadem. Externe etiam decoctum radice visum roborat, ruborem & dolorem oculorum, eorundemque maculas abigit, si in aqua aut vino cocta guttatim instillatur ac cum linteis applicatur. Dimerbroek Disp. Pract. Hist. 18. & 19. pro interno ac externo usu præscribit radicem valerianæ.

§. 4. In CEPHALALGIA diuturna frigida tam intus in pulvere aut decocto usurpata, quam extus pro epithemate aut masticatorio adhibita laudatur a Matthiolo Comm. ad Diosc., qui inquit, quod radix valerianæ cum mastiche diu masticata catarrhos tollat, pituitam a capite trahat & cerebrum roboret. vid. etiam Manget. Bibl. Pharm.

§. 5. Ita etiam meo iudicio in APOPLEXIA & SOPOROSIS morbis, aliisque capitis effectibus frigidis utiliter adhiberi poterit pro continuato interno usu, dum humorum visciditatem adeo bene emendat.

§. 6. In faucium & gingivarum inflammatione ac ulceratione decoctum radice pro gargarismate usurpatum optime mundificat & consolidat. vid. Bauh. & Cherl. Hist. Plant. Univers. l. c.

§. 7. In ASTHMA, TVSSI INVETERATA, & quovis INFARCTU pulmonum multum valet & laudatur a Matthiolo, qui scribit, quod pectus a lentis crassisque humoribus expurget, & a Mangetto l. c. datur autem radix in pulvere, vel in decocto cum liquiritia, passulis & semine anisi conficiendo.

§. 8. In CASU AB ALTO seu omnibus internis contusionibus & rupturis commendatur in Bauh. & Cherl. Hist. Plant. ac Tabern. Argneybuch P. 3. C. 3. ubi optimum dicitur vulnerarium & propter virtutem traumaticam radix vulneraria, ac ideo decoctis vulnerariis utiliter admiscetur.

§. 9. VEN-

§. 9. VENTRICULUM ex pituita vel etiam flatu languentem roborat juxta Matthiolum, cui certe, si multis scattet humoribus viscidis, mea experientia per bene medetur, illiusque vigorem restaurat.

§. 10. DOLORES LATERIS PUNCTORIOS (non æque pleuriticos, ut in Mangett. Bibl. scribitur) qui ex flatibus plerumque suam habent originem, egregie tollit ac discutit, & FLATUS in ventriculo vel abdomine molestiam creantes ac tormina & dolorificas tensiones ac inflationes causantes efficaciter expellit, quod ego ipse expertus sum & Matthiolus testatur.

§. 11. ICTERO medetur, HEPATIS, LIENIS & MESENTERII OBSTRUCTIONES referat, vide Mangett. Bibl. Pharm. lienem juvat, Matthiol. si Decoctum totius plantæ per tempus in usum vocatur.

§. 12. CACHEXIAM incipientem & TUMORES OEDEMATOSOS manuum atque pedum mea experientia per decoctum totius plantæ cum cerevisia factum, ut & per aquam destillatam feliciter esse profligatos, omni fide assevero.

§. 13. In HYSTERICA passione seu suffocatione admodum proficuum Turnefortius notavit radicem, ubi etiam ab aliis cum fructu est adhibita, & dari potest radix in pulvere vel infuso, aut istius extractum vel essentia.

§. 14. In MENSIVM OBSTRUCTIONE radix valerianæ in pulvere vel infuso meo judicio utiliter præscribi potest, peculiariter autem sal totius plantæ ad pellendos menses commendatur. D. Chesneau in Observ. p. 552. proponit Balneum ad proliciendos menses, cui radix valerianæ incoquitur.

§. 15. Uterum mundificat post partum, si LOCHIA deficiunt; post puerperium, ut ab omnibus ichorosis impuritatibus expurgetur & ad novam foecunditatem adaptetur. Vid. Woyt GAZOPHYL.

§. 16. VERMIBVS resistit illosque enecat radix pulvere-
tenus frequenter cum lacte aut aqua valerianæ exhibita, pu-
tre-

tredinem enim tanquam focum verminosum destruit. Aqua valerianæ ex tota planta destillata necat & expellit vermes. Zorn. l. c.

§. 17. In ISCHYRIA ac DYSVRIA Extractum valerianæ singulare dicitur remedium. Vid. Camerar. Hort. Med. p. 175. Sal quoque & Aqua destillata laudatur a Zornio.

§. 18. In PESTE & MORBIS CONTAGIOSIS radix vocatur una ex præcipuis alexipharmacis. Unzer. Antidot. Pest. L. 2. Helwig Consil. de Peste p. 175. Mangett. Bibl. Pharm. p. 1010. in peste maxime conducit, Dolæus Enoycl. Med. p. 775. Sal per sudorem omne venenum fortiter expellit, unde tempore pestis maxime proficuum. Zorn. l. c.

§. 19. In FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS ac præsertim TERTIANA multoties radicem repertam esse salutarem a Jo. Schwaab. refertur in Bauh. & Cherl. Hist. Plant. profligat febres, Zorn. l. c. Woyt. l. c. Recens radix de collo gestata, donec exarescit, quotidianas profligare dicitur.

§. 20. VULNERA & ULCERA interna mundificat & consolidat. Matthiol. l. c., Tabernem. l. c. Mich. Joh. Paschal. Meth. Curand. L. 1. C. 60. Ulcera fistulosa sanat. Zorn. l. c.

§. 21. ULCERA EXTERNA egregie mundificat & ad consolidationem præparat Decoctum radicis cum vino aut cerevisia factum, si eodem aliquoties eluuntur, quod habeo ex relatione & experientia D. Præsidis.

§. 22. LEPRÆ specificum dicitur præservativum a Th. Paracels. Poragr. L. 6. C. 4. Velsch. Chil. 1. Exot. Curat. & Obs. 864.

§. 23. Heterogenea v. g. vermes, ferrum, plumbum & alia in VULNERIBVS CONTENTA extrahuntur, si succus valerianæ vulnere immittitur & herba recens contusa superinponitur. Zornius.

§. 24. In MORSU SERPENTUM herba & radix contusa & loco vulnerato imposita omne venenum extrahit & dolores sedat. Zorn. l. c.

§. 25. IMPOTENTIAM VIRILEM tollere ac emendare dicitur; Agricola enim Medicin. Herbar, p. 191. scribit, radicem valerianæ vulgaris vel collo suspensam, vel in media volla compressam insigniter corroborare congrementem cum muliere, quod ita refert Zorn. l. c.

§. 26. Veneficiis & fascinationibus resistere, illasque tollere radicem valerianæ sylvestr. major., docet Carrichterus im Kräuter-Buch.

CAP. V.

DE MODO UTENDI AC PRÆ- SCRIBENDI VALERIANAM QVOD FORMAM ET DOSIN.

§. 1.

CVM capite præcedenti actum sit de ipso usu, in quibus videlicet affectibus cum fructu adhiberi queat, commodum nunc esse judico, ut modum præscribendi ostendam, qui a Practicis pro in- & externo usu est traditus.

§. 2. Præscribitur autem valeriana interdum solitarie absque additione aliorum, ita enim virtutem suam eo magis edere, ac de istius efficacia eo melius judicari potest; interdum vero cum aliis simul combinatur, atque sic in compositis præscribitur, vel tandem istius præparata chymica in usum vocantur, quæ Cap. sq. recensere constitui.

§. 3. Quando itaque curationem alicujus morbi chronici per valerianam instituere volumus, mane & pomeridie pulvis radice in debita mox delineanda dosi cum aqua destillata valerianæ præberi, aut istius loco decoctum totius plantæ propinari potest, exhibendo simul singulis diebus versus noctem Essentiam vel extractum vel etiam sal ejusdem plantæ. Sed potest quoque hunc in modum adhiberi.

R rad.

R. rad. valerian. recent. unc. IV. conscinde & contunde ac superfunde vini Hispan. ℥j. Stent-per aliquot horas, tunc F. colatura cum forti expressione, cui adde sacchar. unc. ℥. Dos. cochl. j. ij. iij. bis in die contra epilepsiam, præmisso evacuante.

§. 4. Quoad formam & dosin præscribitur radix ficcata IN PVLVERE simplici solitarie ad cochlear dimidium vel a dr. ℥. ad dr. j. pro adultis; a sc. ℥. ad scr. j. pro infantibus & pueris juxta ætatis diversitatem, & capi potest cum aqua valerianæ aut lacte. 2. IN PVLVERIBVS COMPOSITIS, ubi adæquata dosis respectu aliorum ingredientium est determinanda, sicut cognosci poterit ex formulis Cap. VII. producendis. 3. IN INFVSIS ALTERANTIBVS ET PER EPICRASIN PVRGANTIBVS, qualia ibidem proponuntur. 4. IN GARGARISMATE vel DECOCTO PRO externo usu, ubi uncia una pro libra decocti præscribi poterit. 5. in BALNEO cui ad ℥j. & ultra incoqui potest, quale Cap. VII. tradetur.

§. 5. Tota planta recens probe incisa æstivo tempore coquitur ad m. ℥. cum cerevisia ad remanentiam unius liberæ, & decoctum colatum hauritur pro dosi ab unc. iij. ad V. mane & vesperi, ita quandoque purgat, interdum vero & frequentius diuresin ac diaphoresin promovet. Idem decoctum etiam bene impenditur pro lavandis partibus, quæ ob stagnans serum tument. Recens planta incisa & contusa quandoque instar cataplasmatidis vulneribus imponitur, ut supra indigitatum.

CAP. VI.

DE MEDICAMENTIS, QVAE CHEMICA ARTE EX VALERIANA PARANTVR.

§. I.

AQUA DESTILLATA SIMPLEX inter hæc medicamenta est nominanda, quæ omnino ad præparata chemica referri debet, dum per diacrisin & syncrisin paratur. Elicitur autem ex tota planta virente ac florente, cui probe contusæ adfunditur aqua pluvialis ad consistentiam tenuioris pultis, ac inspergitur tartari pulverisati unum vel alterum cochlear, hinc post triduanam digestionem destillatur aqua ex vesica, quæ pro lubitu a recenti planta contusa cohobari potest; vel ex integra planta contusa exprimatur succus, qui novæ plantæ contusæ adfundatur ac post triduanam digestionem destillationi subjiciatur, colligendo aquam, quamdiu prodit sapida.

Hac de aqua scribit Zornius l. c. quod sit egregium remedium contra omnes oculorum afflictiones a frigore ortas, visum reddat clarum & acutum, ac fluxiones oculorum sistat; quod sudorem moveat, stranguriam tollat, febres profliget, lumbricos necet ac expellat & dolores hæmorrhoidum calide cum linteis imposita mitiget atque abigat. In Boneti Thes. Med. Pr. T. 3. p. 348. laudatur contra convulsiones puerperarum. Mea experientia profuit in abigendis tumoribus ferosis intus usurpata. Pro interno usu capitur cochleatim & loco vehiculi in supra enumeratis affectibus adhibetur. Externe in collyriis pro instillatione & lotionem oculorum ac in epithematibus præscribitur. Datur & paratur autem quoque *AQUA VINOSA & SPIRITVOSA* & elicitur ex valeriana duplici modo, nempe sine vino & cum vino. e. g.

AQUA SPIRITVOSA SINE VINO.

R. valerianæ recent c. t. mane ante solis ortum collectæ q. v. contundatur et eadem cucurbita ad summum repleatur, hinc imposito alembico reponatur cucurbita in balneum tepidum, donec concidit in pulvem, tunc destilla
ex

ex B. M. & aqua prolecta aliquoties a recenti planta eodem modo conlecta & contusa cohobetur, ut satis spiritiosa impetretur, quæ postea impendi potest ad destillandam aquam valerianæ castorinam, ut Cap. sq. videbitur.

AQUA VALERIANÆ CVM VINO.

R, valerian. recent. contus. m. x. vini bonæ notæ ℥viij. aut aquæ font. ℥viij. & spir. vini Gall. ℥viij. diger. & destilla, quamdiu prodit sapida, quæ a recenti planta cohobata pro interno usu tantum impenditur & datur ad cochl. ij. vel iij. in supra nominatis affectibus.

Recipitur quidem etiam valeriana ad diversas aquas compositas, sed istarum nonnullæ Cap. sq. producentur.

§. 2. SPIRITVS etiam ex valeriana elicitur tam per fermentationem perfectam quam per abstractionem, prævia tamen quadam quasi inchoata fermentatione. Fermentationis perfectæ modus satis notus est, ista autem mediante, particulæ totius plantæ & quidem salino-sulphuræ attenuantur, ac subtilisantur, ut, instituta destillatione, coëant in liquorem subtilem & mobilem, qui nomine Spiritus salutatur & a recenti planta rectissime rectificatur. Per abstractionem autem similis spiritus impetratur, si plantæ recenti contusæ & per se in cucurbita per aliquot dies contentæ, ut quasi inchoative fermentescat, affunditur spiritus vini, ac postea destillationi subjicitur, & Spiritus prolectus a simili planta nonnihil fermentata rectificatur. Prior autem omnino melior iudicatur, quippe qui, sine accessu spiritus vini, solis partibus essentialibus salino-sulphureis est inprægnatus.

Hic spiritus bene impenditur loco menstrui pro extrahenda essentia valerianæ aut alia quadam antepileptica vel uterina. Per se autem quoque iste spiritus in visus debilitate ac epilepsia usurpari potest ad dimidium vel integrum cochlear.

§. 3. SAL porro ex valeriana chemica arte parari potest, quod triplex, *Essentiale* videlicet, *Fixum* seu lixiviosum, & *Volatile*.

SAL ESSENTIALE VALERIANÆ.

Impetratur hoc ipsum, si integra planta recens minutissime conscinditur, probe contunditur ac in sacculo torculari submittitur, ut fortissime exprimatur succus, qui postea per subsidentiam ac filtrationem bene depuretur. Succus ita probe depuratus infundatur vitro & ex cineribus aut arena blande evaporetur fere ad mellis liquidi aut olei consistentiam, tunc reponatur in cellam, ubi sal crystallinum in hoc evaporato succo concresecet, quod eximendum & siccandum. An salia essentialia præferri debeant salibus per incinerationem factis, disputatur inter Laurenbergium, Billichium & Angelum Salam, sicut hoc ita recenset Barnerus Chym. Philos. p. 364. Laurenbergius tuetur affirmativam, quia salia essentialia integras mixti continent virtutes, quæ incineratione perduntur, cui sententiæ subscribit Barnerus inquires: omnino præferri debent sales essentialia, quoniam qualitates mixti referunt, & p. 530. inter salia volatilia & fixa dantur, quæ medium locum obtinent & ex succis vegetabilium separantur, unde cum in succis illis omnis vis & vita consistit, essentialia audiunt, talia vero in multis plantis manifeste demonstrari & fixis prævalere denuo affirmat. Ejusmodi sal essentialia reperitur in valeriana sylvestri, quam D. Præses ante aliquot annos nonnihil examinavit, paraturus illud adeo decantatum arcanum valerianæ Hartmanni, cujus efficaciam experiri desideravit, quo tempore succum inspissando hoc sal essentialia quæsit & impetravit, ut illud cum prolecto spiritu combinaret. Ad dictum enim arcanum valerianæ requiritur sal istius ex capite mortuo, ut in textu videtur, extrahendum, ubi certe non intelligendum est sal fixum alcalicum per incinerationem paratum, sed potius essentialia, illud enim ægerrime per destillationem in altum elevari ac cum spi-

spiritu uniri potest, hoc autem faciliter cum eodem unitur, quia propius ad volatilitatis gradum accedit.

Usus hujus salis essentialis quod concernit, quoniam vires mixti continet, in omnibus illis affectibus adhiberi poterit, ubi alias radix valerianæ conveniens videtur, præsertim autem in epilepsia & omnibus visus læsionibus exhiberi potest a scr. ꝑ. ad scr. j. vel dr. ꝑ. ex aqua valerianæ. Extus quoque idem sal ad scr. j. in aquæ valerianæ unc. j. solutum oculis instillari & adplicari poterit in quibusvis oculorum affectibus.

SAL FIXVM LIXIVOSVM.

Conficitur hoc per incinerationem totius plantæ non nimis siccæ, ex cineribus cribratis mediante aqua pluviali calida parando lixivium, quod aliquoties filtratum evaporatur ultra dimidium usque ad cuticulæ adparentiam, tunc reponitur in locum frigidum, ubi in fundo & ad latera vasis concrescit sal crystallinum, hinc reliquum lixivium decantatur & ulterius ad medias evaporatur, ut iterum sal concrescat, vel vulgari modo ad siccitatem coagulatur & si hoc ultimum non satis purum adparet, denuo cum aqua solvi, solutio filtrari ac evaporari debet. Prius autem sal crystallisatione paratum, licet sit aliealicum, non tamen est adeo lixiviosum & acre, nec ab aëre tam facile liquefcit. Hoc sal, scribit Zornius l. c. per sudorem potenter expellit omnes impuritates corporis, ut & omne intra corpus exceptum venenum, quapropter tempore pestis valde est proficuum, efficaciter etiam promovet urinam ac mensium fluxum & oculorum affectibus inservit. Adhiberi itaque potest in variis oculorum morbis tam interne, quam externe, quando oculorum caligo, nubeculæ, maculæ & incipiens suffusio observantur. In ischuria cum aqua valerianæ solutum per intervalla cochleatim capitur. In mensium obstructione cum eadem aqua solitarie sumitur, aut aliis emmenagogis admiscetur. In scabie cum sanguinem purificantibus, in morbis con-
tagio-

tagiosis cum bezoardicis, in epilepsia cum antepilepticis combinatur. Dos. scr. ꝑ. usque ad dr. j.

Formari hic potest quæstio, an salia per incinerationem facta unius eiusdemque sint naturæ, structuræ & qualitatis, an vero de virtute simplicium, ex quibus parantur, aliquid participant, seu an quoad virtutem medicam pro diversitate simplicium quædam agnosci debeat differentia? Hanc quæstionem exhibet ad illamque bene respondet D. Joh. Maur. Hoffmannus, celeberrimus Altorffiensis Professor in Act. Labor. Chem. p. 115. ubi ita differit: Negativam sententiam amplectuntur multi ex recentioribus, quos inter præcipuos nominamus *Rob. Boyle*, in *Chemist. Scept. Conringium* de *Med. Hermet.*, *Dan. Ludovici* in *Pharmac.*, *Frid. Hoffmannum* in *Clave Schröd.* qui quidem celebres viri salibus lixivis omnibus commune esse ajunt ut acidum absorbeant, vi saponaria abstergant & nunc diaphoretica, nunc sulphure adjecto magis salsa & diuretica evadant. Ast enim vero nobis, salvo aliorum judicio, potius consultum videtur, media incedere via, neque omnem virtutem specificam, quæ inerat plantis, salibus adimere, neque omnem attribuere. Ita namque Galenus observavit, quernum cinerem adstringere, ficulneum contra abstergere, certissimo indicio, quasdam in adusto cinere superesse compositi vires. Pariter memini, me ex ore Barneri quondam audivisse, nauseam, aliis remediis frustra tentatis, sale absinthii curatam esse, non minus ab Amico olim accepi, quempiam, natura absinthium abhorrentem, ex sale absinthii forte cum medicamento insciter assumpto in lipothymiam incidisse. (sic etiam refertur in *Epher. N. C. Dec. 1. A. 6. & 7. Obs. 199.* sal absinthii fixum eadem symptomata in cive quodam excitasse ac ipsum absinthium, a quo per naturam abhorrebat. De eodem sale absinthii in *Blumentrost Haus und Reise Apotheck* p. 350. scribitur, quod habeat virtutem subadstringentem, quæ autem in salibus lixivis omnibus non reperitur, & quod singulariter medeatur ventriculi affectibus, quod etiam confirmat *Riverius*,

verius, qui expertus testatur, sal absinthii in vomitu febrium malignarum aliis prævalere, ut nihil dicam de aliis, ubi hoc sal absinthii aliis præfertur.) Præterea, pergit Hoffmannus l. c. frequenti experientia Chirurgis innotuit, sal corticum fraxini optimum esse cauterium pro parandis fonticulis, in aliis autem salibus frustra eandem expectari aptitudinem. (de hoc sale fraxini scribit Sim. Paulli, se illud pluris facere quam lapidem Bezoar, dum potentissime sudorem movet; & Thiermaierus Conf. Libr. 1. inquit, dici non posse quantopere conveniat variolis & morbillis laborantibus, quod etiam expertus est D. Præses in variolis retrocedentibus, similem vero efficaciam vix reperire possumus in aliis salibus lixivis) Ne dicam, addit D. Hoffmannus, figurarum in salibus lixivis varietatem manifeste principiorum insitorum diversitatem declarare, dum sal capillorum veneris cubicum, sal melissæ octaedricum, sal acetosæ pyramidem exprimit, sal endiviæ duas retusas cuspides hexagonas medium complectentes offert. Hactenus Hoffmannus. Quando nunc ejusmodi diversitatem figurarum in salibus per incinerationem paratis non superficialiter consideramus, omnino judicare licet, illud haud temere fieri, sed revera disparitatem in ipsis salibus reperiri debere, alias una semper eademque figura in illis esset conspicienda. Cum quoque sal plantarum pertinet ad partes illarum constitutivas, quibus suum edunt effectum, isti hæc virtus ex parte est tribuenda, qua pollet planta, quamvis integra virtus ipsi adscribi nequeat, quoniam per incinerationem immutatur, interim tamen illam virtutem ex parte omnino retinet, quam ante combustionem plantarum obtinebat, sicut hoc ex supra dictis & parenthesi inclusis patet, & hoc respectu etiam sal valerianæ in epilepsia, oculorum affectibus &c. rectius præscribitur, quam sal cardui benedicti & similia. Imo quod salia alcalica tam fixa quam volatilia specialibus qualitatibus ratione suæ originis & effectus sæpe inter se differant, docet Unzerus Tr. de Salib. c. 21. ex Quercetano, Crollio, Rulando; ut & Ol.

D

Borrich.

Borrich. Act. Haffn. A. 73. Obs. 63. qui observavit, sal volatile cantharidum excitasse vesicas, quod ab aliis salibus volatilibus frustra expectatur; ita sal vol. fuliginis & tartari magis est diureticum, quam sal vol. C. C., quod magis sudoriferum existit; ita sal volatile urinæ solutionem mercurii sublimati reddit rubicundam, sal autem volatile salis ammoniaci eandem facit albam, manifesto indicio, in salibus notabilem reperiri differentiam.

SAL VOLATILE.

Sicut ex aliis plantis aromaticis mediante putrefactione parari potest sal volatile, ita etiam ex valeriana tale impetratur. Quoniam autem hoc in sicca forma non indigemus, contenti esse possumus, si illud prævia fermentatione cum partibus sulphureis unitum in liquida forma elicimus, prolixius itaque de istius præparatione differere haud expedit.

§. 4. Ex valeriana porro chemica methodo paratur ARCANUM VALERIANÆ Hartmanni, cujus conficiendi modus in Basil. Chym. Croll. p. m. 247. & in Cardilucii Chymisch-Argeneischen Pallast p. 545. his exprimitur verbis: ex tota planta (prævia fermentatione) destillatur spiritus, hinc ex capite mortuo extrahitur sal (non fixum sed essentialie hic eligendum esse iudico.) Spiritus cum sale mediante digestionem unitur, quo facto destilletur in capax vas recipiens, cui imposita sit planta valerianæ marcida, ut inde extrahatur essentia, quæ tandem per retortam ex balneo sicco destilletur & arcanum dici meretur, quod, ut l. c. scribitur, admirando modo ex singulari proprietate visum acuit ac a quacunque causa læsum ad miraculum usque restituit, si indies a gt. iij. ad X. assumitur.

§. 5. Conficitur ulterius ex valeriana EXTRACTUM & quidem omnium optime ex radice mediante spiritu vini, plane enim est resinosum, quod igni admotum flammam concipit. Confici tamen quoque potest mediante aqua, quæ sale valerianæ probe est inprægnata, digerendo, ebulliando, filtrando & inspissando, cui ad avertendam corruptionem in fine admisceri debet spiritus.

Hoc

Hoc extractum tanquam singulare remedium laudatur in suppressione & difficultate urinæ, vid. J. Camerar. Hort. Mep. p. 175. præscribitur etiam in epilepsia, visus imbecillitate, passione hysterica, chlorosi, mensium obstructione etc. ad scrup. ꝑ vel j. cum adpropriatis pro diversitate morborum.

§. 6. Elicitur quoque ex valeriana *ESSENTIA* hunc in modum.

R. rad. valerian. pulv. unc. iij. salis valerian. per deliqu. sol. unc. j. diger. ad exsiccationem, tunc denuo terantur & affunde spir. valerian. per ferm. par. ℥j. Diger. per octo dies in arena calida ad sufficientem extractionem, tunc adde olei destill. valerian. ℥ij. M. vel h. m.

R. Extract. valerian. unc. ij. salis essent. valerian. unc. j. spir. valerian. ℥j. Diger ad solutionem & unionem in B. M. filtra & add. ol. dest. valerian. ℥ij. Dos. gt. 40. ad 60. ex aqua valerianæ vinosa in supra nominatis affectibus,

Si magis compositam desideramus, colaturæ admisceri potest essentia castorei antepileptica & essentia succini volatilis aa ad unc. j. dosis ut antea.

§. 7. Tandem quoque ex valeriana more consueto *OLEVM DESTILLATVM* elicitor, quod quidem in usum vocari & cum aliis a gt. j. ad v. dari potest, frequentius tamen pro complenda essentia a Medico-Chemicis impendi solet.

CAP. VII.

CONTINENS QVÆDAM COM- POSITA AD QVÆ VALERIANA RECIPITVR.

§. I.

Non quidem omnia, quibus valeriana inmiscetur, composita hic enumerare & describere suscipio, iste enim labor foret tædiosus, sed nonnulla tantum hic producere placet, quæ bona videntur.

§. 2. Obveniunt itaque quædam Aquæ compositæ, inter quas laudem mereri videtur

(α) *AQUA VALERIANÆ CASTORINA.*

R. Aquæ valerian. spirituosæ sine vino destill. ℥j. castor. opt. pulv. unc. j. salis valerian. essent. ℥vj. Diger. per octo dies in B. M. postea destilla ad ficcitatem, Dos. dr. ij. ad unc. ℥. in epilepsia.

(β) *AQUA VALERIANÆ VITRIOLATA.*

R. rad. valerian. recent. cont. unc. vj. vitriol. Hungar. pulv. ℥iv. cranii humani pulv. unc. iv. vini Hispan. aquæ valerian. spirit. a ℥j. Diger. & destilla ex retorta vitrea igne arenæ. aut h. m.

R. rad. valerian. rec. unc. vj. cranii human. pulv. unc. ij. vitriol. Hungar. contus. aquæ epilept. Lang a. unc. viij. Diger. & destill. ut antea, Dosis cochl. j. vel ij.

§. 3. Inter Spiritus compositos reperio SPIRITUM ANTEPILEPTICUM cujus basis est radix valerianæ, Auctor vero Nicol. Chesneau, qui istius descriptionem exhibuit in suis Observat. p. 91. & rectius essentia quam spiritus vocatur.

R. radic. valerian. sylvestr. unc. j. visci querni decrescente luna a die 15. Aug. ad 8. Sept. collect. rad. poen. a. dr. ij. unguis. alcis, cranii human. a. dr. i℥. castor., sem. rutæ, anis., poen. a. dr. j. flor. tiliæ, lavend., poeon. a. p. ij. cerebri bovis in forno parum assat. & minutim incis. unc. i℥. spirit. vini alcoolis, ad eminent. duorum digitorum, digere in vase clauso per 15. dies, tunc liquor coletur sine expressione & fervetur. Dos. cochl. j. cum gutt. ij. olei succini & gutt. iij. Spiritus vitrioli.

§. 4. Ex Pulveribus nominare placet

(a) PULVEREM ANTEPILEPTICUM JUNGKEN., qui descriptus in illius Lex. Pharm. P. 2. p. 310. de quo Autor scribit, quod quidem quoad saporem sit satis ingratus, sed quoad effectum omnibus aliis palmam disputans.

(b) PVL-

(b) PVLVEREM ANTEPILEPTICVM LENTIL., quem Autor exhibet in Eteodr. Med. Pract. p. 15. illiusque usum describit.

(c) PVLVEREM ANTEPILEPTICVM VATERI, cujus hæc traditur descriptio in Coll. Pract.

R. rad. valerian. sylv. unc. j. ungu. alc., dent. equi mar. off. human. a. unc. ꝑ. succin. alb. dr. vj. M. Dos dr. j.

(d) PVLVEREM ANTEPILEPTICVM PITCARNII, quem Autor in Element. Med. p. 121. ita delineat :

R. rad. valerian. sylvestr. dr. ꝑ. cortic. Peruv. Scrup. ꝑ. M. pro dosi ter in die præmissis universalibus.

§. 5. ESSENTIÆ COMPOSITÆ, ad quas radix valerianæ recipitur, reperiuntur diversæ, ita recipitur ad essentiam uterinam in Disp. Regio-Elector. Brand descriptam, ad essentiam asthmaticam, alexipharmacam, anticachecticam, antichloroticam, quales a D. Præsede in Coll. Mat. Med. productæ.

§. 6. INFUSA & VINA MEDICATA contra epilepsiam per epicrasin purgantia, ad quæ radix valerian. recipitur, exhibentur a D. Lentilio Eteodr. Med. Pr. p. 35. & a Zvingero in Theatr. Med. Pr. sub epilepsia. INFUSVM OPHTHALMICVM ex rad. valerian. unc. ij. & sem. foenic. unc. iꝑ. laudat Hermannus. INFUSVM CONTRA VISVS DEBILITATEM per epicrasin purgans reperitur in Michaël. Oper. Med. Chir. p. 93.

§. 7. TRAGEMA OPHTHALMICVM in suffusione oculorum diu usurpandum delineatur a Zvingero l. c. p. 202. & B. Michaël. l. c. quale etiam D. Præses aliquando viro sexagesimum quintum annum agenti contra visus imbecillitatem cum fructu ordinavit.

§. 8. ELECTVARIVM ANTEPILEPTICVM a Pitcarnio præscriptum reperitur in istius Element. Med. p. 122. h. m.

R. rad. valerian. sylv. unc. j. fraxinell. unc. ꝑ. asæ foet. dr. ij. sal. vol. succin. dr. ꝑ. theriac. Andr. unc. ꝑ. syrup.

pœn. q. f. Dosis quantitas nucis juglandis bis terve indies.

§. 9. BALNEVM AD MENSTRVA PROVOCANDA exhibet Chesneau in Observat. p. 552. cujus descriptionem adnectere placet.

R. rad. valer., alth., rubiæ, cucum. sylv. helen. a. ðj. fol. malv. mercurial., puleg., matricar., artemis., meliss., a. m. IV. flor. chamom. m. ij. sem. fœnugr. cont. unc. ij. anisi, dauci contusor. a. unc. j. M. & coquantur pro balneo.

Plura quidem ex Horstio, Willisio, Boneto & aliis addere potuisssem composita, quibus valeriana inmiscetur, sed jam nimis prolixus fui in talibus recensendis, propero igitur ad caput ultimum.

CAP. VIII.

TRES CONTINET OBSERVATIONES VSVM ET EFFECTVM VALERIANÆ SYLVESTRIS CONCERNENTES.

Observ. I.

ANno 1721. mense Junio quædam mulier, a me pro sua Xannorum filia consilium atque auxilium petens, hanc narrabat historiam: mea filia hætenus sæpius ægrotavit, passa est dysenteriam, laboravit diuturna tussi & febre, a quibus quidem per domestica remedia est liberata, ast postea successive pedes & manus, exceptis digitis intumescere ceperunt, qui tumor sensim incrementa sumsit ut nunc satis notabilis conspiciatur. Conjuncta est, inquit, alvi obstructio, quam interdum diarrhoea sponte iterum cessans insequitur, ad-

adpetitus est exiguus & quandoque plane deficit, circa regionem ventriculi dolores percipit, ibique satis evidens observatur intumescencia, ac simul respirandi difficultas, valde etiam queritur de lassitudine, gravitate & dolore artuum, quibus ita enarratis addit, sibi rem angustam esse domi, vili-bus igitur medicamentis filiæ ut subveniatur rogat. Puellam itaque incipiente laborare cachexia, quæ partim ex prægressis morbis procul dubio haud bene curatis, partim ex crudioribus cibis suam duxit originem, ex signis & symptomati-bus judicari poterat, satis quoque evidens erat, in primis viis hæere cruditates viscidas, totamque massam sanguineam humoribus seroso-viscidis esse inquinatam, curationem itaque inchoavi evacuante, quod sequens erat pulvis.

R. mercur. dulc. gr. xij. diagrid. gr. iß. antim. diaph. gr. vj. M.

Tertio abhinc die rediens mater referebat, filiam ex usu pulveris quinquies alvum deposuisse & materiam admodum mucosam atque tenacem excrevisse, dicebatque puellam se aliquo modo melius habere, & tumorem epigastrii evanuisse, petens ut curationem prosequeretur & filiam a reliquis molestiis liberarem. Quoniam itaque sine sumtibus erat curandum, & quomodo id ipsum omnium optime fieri posse animo pensitabam, in memoriam incidebat, quod Hildesie, cum pharmaceuticis studiis incumberem, notaram. Degebat nempe ibidem Vetula medicatrix, quæ diversas curationes præ abigendis tumoribus serosis tam particularibus pedum, manuum &c. quam totius corporis in cachexia & leucophlegmatia feliciter peregerat, illa autem, quod ipsa mihi passa est, nullis aliis medicamentis utebatur quam Valeriana. Hujus igitur plantæ qualitates considerans, quod habeat virtutem incidendi, adtenuandi, diuresin ac diaphoresin promovendi & quandoque purgandi, absque hæsitazione hanc eligebam plantam, sperans fore, ut puella pristinam recuperaret sanitatem. Iubebam itaque matrem, ut colligeret totam valerianæ plantam,

tam, illamque conscinderet & coqueret cum cerevisia non nimis recente, ac postea hujus decocti haustum mane & vesperi capiendum filiae exhiberet. Hoc per novem dies studiose peracto, lata me accedit mater, maximis cum gratiarum actionibus referens, suam filiam indies se melius habere ex istius decocti usu, tumoremque pedum ac manuum ex parte esse imminutum, quærens quid ulterius sit agendum. Repetendum igitur esse pulverem purgantem superius præscriptum, ac postea decoctum valerianæ denuo in usum revocandum judicavi illudque ita consului. A sumto pulvere iterum quinques alvum deposuit, excrementa autem, ut mater referebat, haud amplius adeo tenacia adparuere, sicut prima vice fuerunt, hinc continuatum est decoctum per novos duodecim dies, quibus puella ab omnibus molestiis & symptomatibus, evanescente simul pedum ac manuum tumore, penitus est liberata, integramque recuperavit sanitatem, qua in hodiernum diem gaudet.

Hist. 2.

Anno 1722. Mense Augusto Mulier quædam cum sua filia tumore manuum jam per annum laborante accedit, petens, ut filiam ab isto tumore liberarem, simulque addens, illam de nulla alia molestia queri, quam quod interdum flatibus vexetur cum notabili distensione abdominis. Desiderabat autem remedium facile parabile atque domesticum, cum nullos sumtus inpendere queat. Commendabam itaque decoctum ex integra planta valerianæ cum cerevisia parandum, ut mane & vesperi illud filiae potandum præberet. Parabatur itaque hoc decoctum & haud mediocris haustus statim prima vice evacuabatur, quo sumto magna exoriuntur tormina aliæque molestiæ in pectore, ventriculo & abdomine subito incrementa & misere excruciantia, unde mater omnia mala metuens adcurrerat, multis precibus desiderans, ut pro mitigandis doloribus ventris aliisque symptomatibus conveniens præscriberem reme-

remedium. Sed recusabam hoc ipsum, inquiens, expectandum esse nonnihil, ut sumtum medicamentum suum prius edat effectum, totus enim credebam, in primis viis hæere cruditates viscidas, ex quibus commotis excitata esse tormina, quæ procul dubio, soluta alvo, iterum cessatura judicavi. Nec fallebar in hac mea sententia, domum enim rediens mater, filiam interea temporis, quo abfuerat, bis deposuisse alvum, audit, symptomataque multum mitigata esse intelligit, quod mihi narrabat, cum elapsis duabus horis post discessum matris ex meo domicilio ægrotantem filiam visitarem; frequentius autem interim alvum exonerarat, mihi tamen percontanti de viribus respondebat, se nullam sentire virium prostrationem. Notabam vero pulsum magnum & celerem, facies rubebat & totum corpus sudore madidum observabatur, abiturus igitur monebam, nihil usque ad meum reditum esse tentandum, sed purgationem, si ulterius insequeretur, intantum esse relinquendam. Vespero itaque ægrotam denuo visitans, reperio illam satis quietam, dicebatur, quod undecies alvum deposuerit, & symptomata ante molesta sensim evanuerint, ægrotaque nunc melius se habeat. Pulsus tamen adhuc citatior percipiebatur, facies nonnihil rubebat, sitis molestabat, exiguus aderat appetitus, tumor manuum autem aliquo modo adparebat imminutus. Dicta symptomata forsan ex usu decocti non evenissent, si prius fuisset exhibitum purgans, sicut in prima historia feceram, quod in præsentī casu nullam aliam ob causam negligebatur, quam ut sumtibus parcerem. Forsan etiam tormina fuerunt excitata, quoniam decoctum in nimis larga dosi statim prima vice fuit haustum, quod ita vehementius humores viscidos exagitavit cum melius fuisset, in principio parum & successive plus capere, quod etiam ante usum monueram. Sed redeo ad ulteriorem curationis progressum. Cum itaque ista die toties dejecisset, ventriculo aliquo modo succurrere constituebam, illumque in finem ordinabam.

R. aquæ valerian. unc. ij. cinamom. f. v. unc. iſſ. ſyrup. menth.
dr. ij. M. capiatur cochleatim.

Injungebam ſimul, manus eſſe lavandas decocto valerianæ calido & deinde nonnihil ligandas. Altero mane ægrotam optime ſeſe habentem reperio, tumor manuum multo magis erat imminutus, pulſus erat naturalis ſicut etiam color faciei, placide dormiverat, ſitis evanuerat, appetitum ciborum ſe ſentire ajebat, quibus omnibus adeo bene adparentibus, decoctum valerianæ repetere nolui, ſed tantum aquam illius deſtillatam mane & veſperi potandam ordinavi, continuata ſimul manuum cum decocto valerianæ lotionem & quotidiana illarum ligatura, quibus per 14. dies adhibitis, manuum tumor plane evanuit, nec quidquam, de quo querendum fuiſſet, reſtabat.

Hist. 3.

Anno 1723. Menſe Auguſto deſertur ad me puer quinque annorum, facie ſubtumida & manibus ſatis tumidis conſpiciendus, cujus mater, interrogata an alia quoque mala obſerventur ſymptomata, reſpondit, ſe nihil quidquam aliud ſentire. Præſcribo itaque Aquam valerianæ deſtillatam, mane & veſperi ad tria cochlearia puerulo dandam, qua per 14. dies uſurpata, omnis tumor evanuit.

Hæc itaque ſufficiant, quæ in præſentiarum de Valeriana, ac præſertim iſtius uſu præctico conſignare conſtitui.

F I N I S.

